



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

325. An puella volens assumere habitum Monialium debeat esse major
duodecim annorum? Et an duplex examen, vel unum tantum, quando
professura est Præmittatur? Et an hoc examen ab Episcopo necessario ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CCCXXIV.

An puella destinata ad Religionem possint recipi in Monasteriis Monialium, ante annos discretionis? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 131.

§. 1. **P** Utat Azorius tom. 1. lib. 1. cap. 17. Superiore non posse has puellas recipere, nisi habeant duodecim annos ætatis, & ita etiam docet Hieronymus Rodriguez in compen. 99. Regular. resolut. 27. num. 16.

2. Sed contrarium tenet Portel in addit. ad dubia Regul. ver. clausura Monialium, §. c. ius ætatis, c. n. 1. vbi sic ait. Dicendum est posse puellas recipi à Superioribus intra clausuram, vt suo tempore profiteantur, etiam si sint ætatis infantilis, nondum attingentes vsum rationis, in tertio, vel quarto ætatis anno; ita Portel, qui citat Sanchez in summa, tom. 1. l. 4. n. 18. n. 34.

RESOL. CCCXXV.

An puella volens assumere habitum Monialium debeat esse maior duodecim annorum?

Et an duplex examen, vel vnum tantum, quando professura est, præmittatur?

Et an hoc examen ab Episcopo necessario faciendum sit etiam in puellis ingredientibus in Monasteria exempta, & dicto Episcopo non subiecta?

Et an sit peccatum mortale illud prætermittere, quod incurret non solum ipsa puella, sed etiam Abbatisa, vel Prælati professione admittens? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 47.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam ex Concil. Trident. sess. 25. c. 17. docent Naldus in sum. verb. habitus n. 1. & verb. morialis n. 5. Azorius tom. 1. lib. 12. c. 18. vers. 55. & 56. Rodriguez in 99. Regul. tom. 3. q. 12. art. 2. qui testatur ita sensisse omnes Patres, qui in Concilio Provinciali Toletano adfuerunt.

2. Verum contrariam sententiam mordicus tenent P. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 1. n. 9. P. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 18. n. 34. Miranda in manuali Prælat. tract. de monialibus, q. 8. art. 2. & Michael de Medina de sac. hominum continen. lib. 4. controu. 9. cap. 4. vbi probat, & dicit, nihil alienius à Concilij Tridentini mente excogitari posse, quam illum intellectum à Doctoribus pro sententia affirmatiua adductum, & ait se interfuisse illi Decreto, atque attentissimis auribus suffragia omnium Episcoporum accepisse, & nihil tractatum fuisse de sola puellarum maiorum duodecim annis ad Religionem admissione: quare concludit duo in Decreto statui. Alterum est, vt si puella ingrediens sit maior duodecim annis, quantumcumque ætatis sit, duplex Episcopi examen subeat, alterum ante habitum susceptionem, & alterum postea ante professionem, & vtrumque petiit, quia sæpè puella inuita habitum suscipiunt, & quamuis voluntarie illum assumant, non raro inuita profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitum dimittendi. Alterum verò quod in eo decreto statuitur, est, vt puella minor duodecim annis ingrediens, vnicum examen subeat nempe professionis tempore, quoniam ante ætatem duodennem vanum existimauit Tridentinum hoc examen præmitti ob tenerum rationis vsum puella. Ex quibus supradicti Doctores negatiuè ad dubium propositum respondendum esse putant.

3. Atamen his non obstantibus à prima sententia putat non esse recedendum Bartholomæus de Vecchis in praxi Nouitiorum, disp. 52. dub. 9. n. 16. vbi notat ita determinasse sacram Cardinalium Congregationem,

cuius tenor hic est. Per hæc verba, Congregatio rescripsit aliquam puellam non debere admitti ante duodecim annum ad habitum suscipiendum, cuius causa requiritur voluntatis puella exploratio. Non est autem voluntas Congregationis, neque Concilij, vt ante illam ætatem puella admitatur. Ita sacra Congregatio.

4. Notandum est tamen hæc obiter, quod quamuis vt dictum est, Concilium Tridentinum duplex examen petat, in maiori duodecim annis ingrediente Religionem; at vsu, & consuetudine iam receptum est, vt vnicum puella quacumque ætate ingredienti præmittatur, nimirum quando professura est. Et ita docet Sanchez in sum. tom. 2. lib. 5. c. 4. n. 84. & Rodriguez in 99. Regul. tom. 3. q. 12. art. 2. & hoc * examen ab Episcopo faciendum est necessarium etiam in puellis ingredientibus in Monasteria exempta, & dicto Episcopo non subiecta, vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio: & notat Paflecius in praxi Episc. p. 2. c. 3. art. 7. n. 8. & esset peccatum mortale illud prætermittere; in quod incurrit, non solum ipsa puella, sed etiam Abbatisa, vel Prælati professionem admittens.

* Sup. hoc examine in to. tr. 3. ex Ref. 26 lege doctrinam §. Tertio idem & pro validitate professionis in hoc casu supra ex Ref. 159 lege §. potest etiam & §. 1. huius not.

RESOL. CCCXXVI.

An Decretum Concilij Tridentini sess. 25. c. 16. de Regular. prohibens recipi aliquid ultra vinctum & vestitum Nouitiæ, comprehendat mutuum, aut accommodatum?

Et notatur, quod si puella Monasterium ingressa animo Monachandi, sed paupertate oppressa dotem promissam solvere non poterit, non sit compellenda eo quod dotem in conditionem necessariam ponere non debemus propter simoniam.

Et inferitur, quod Monasterium excessiuam dotem pro ingressu Nouitiæ recipiens, excessum ultra sufficientem sustentationem teneatur restituere. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 100.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Rodriq. in 99. Regul. tom. 2. q. 48. art. 5. & Miranda in manuali Prælat. tom. 2. q. 8. art. 9. vbi sic ait. In casu, quo Monasterium eget, sufficienti præstita occasione, non videtur omnino illicitum Nouitiæ alicuius dotem mutuatam recipere, aut parentes & curatores ipsius eadem Monasterio accommodare. Nam mens, & intentio Concilij fuit, vt non propter præfatam dotis traditionem, mutationem seu accommodationem, aliqua Nouitia iuuita & coacta profiteri adstringatur: sed hæc omnino iam cessant in casu proposito præstita, & exhibita cautione; ergo id facere non erit contra mentem, & intentionem Concilij. Ita Miranda, qui respondet etiam ad illa verba Concilij, quocumque prætextu, &c.

2. Sed his non obstantibus, contrariam opinionem mordicus tenet Suarez de Relig. tom. 1. tr. 7. l. 5. c. 6. n. 16. Rodriq. retractans in sum. tom. 3. c. 144. n. 6. & Villalobos in sum. to. 2. tr. 35. diffie. 19. n. 4. qui n. 5. plus addit, nempe que mirado el Decreto del Concilio no pueden llevar las Monjas, propinas, cera, y otras cosas, que suelen llevar el dia del habito, de los bienes de la novicia, ni se les pueden dar por las palabras que dice Quocumque prætextu aliquid ex bonis eiusdem minime tribuatur: que son palabras que incluyen todo esto. Mas ya el dia de oy tienen costumbre legitimamente prescripta en muchos Monasterios de llevar propinas entrada, y cera, y donde la huuiere podran lo hazer, porque la costumbre tiene fuerza de ley. Mas con todo esso verdaderamente es contra el Concilio, y era muy justo, que los Superiores lo remediaran, y que las Religiosas no recibiran cosa alguna en la entrada. Hæc Villalobos.

3. Notandum est etiam hic obiter, cum Isidoro Moleucio